

sed & sibi daturus esset hoc. Nō dixit autem, lube me ire: sed, ad te ire. Nam illud ostentationis est, hoc autem amoris in Christum.

Iesus autem dixit: Veni. Et quum descēdisset è naui Petrus, ambulabat super aquas, ut iret ad Iesum. Cæterum quum uideret uentum ualidum, territus est: & quum cœpisset demergi, clamauit, dicens: Domine, serua me.] Subtrauit dominus Petro mare, suam declarans uirtutem. Attende, quod in maiori periculo existens, mari uentus turba to timuit: ita infirma est humana natura. & statim ut timuit, cœpit submergi: quādo eū fides infirma est, tunc in profunda descendit Petrus. Hoc autē fecit, ne ille superbiret, & alios solaret discipulos: forte enim inuiderūt. sed & Christus quātū ipsum amet, ostēdit.

Confestim autem Iesus extenta manu, apprehendit eum, & dixit illi: Paruæ fidei, ad quid formidasti? Et ingressis illis in nauim, conquieuit uentus. Porro qui in naui erant, acceperunt ad eū, & adorauerūt dicentes: Vere dei filius es.] Ostendens Christus nō uentum, sed pusillanimitatem submergendi causam esse: non uentum increpat, sed Petrum pusillanimitem. Ideo & apprehensum eum, statuit super aquam permissio uento stare. Nō omnino autem dubitabat Petrus, sed secūdum quid, hoc est ex parte: nam iuxta id quod dubitauit, incredulus fuit: iuxta id autem quod clamauit, Domine, serua me: curauit incredulitatem. Ideo paruæ fidei dicitur, non incredulus. Igitur qui in naui, & ipsi metu soluti sunt. Cessauit enim uentus. Et ex his cognito Iesu, confessi sunt eius deitatem. Neque enim hominis est super mare ambulare, sed dei. Sicut & Dauid dicit: In mari uia tua, & semita tua in aquis multis. Iuxta anagogen autem, nauis terra: fluctus, uita à malis spiritibus turbata: nox, ignorantia. In quarta igitur uigilia, ad finem seculorum astitit Christus. Prima uigilia, fœdus cum Abraham: secunda, lex Moysi: tertia, prophetar: quarta, domini aduentus. Ipse enim seruauit nos, fluctibus agitados, ueniens ad nos ita ut eū cognosceremus, & ut deum adoraremus. Vide autē & hoc, quod negationem Petri, & deinde eius conuersionem & poenitentiam præsignarūt ea quæ in mari acciderunt. Nam sicut illic dicebat confidens, Non te negabo: sic & hic, lube me uenire ad te super aquas. sicut tunc permisit negare, ita & hic permittit mergi. Hic manum ei porrexit dominus, & non permisit eum submergi: ita tunc per poenitentiam eum à profundo negationis extraxit.

Et quum traiecissent, uenerunt in terram Gennezareth. Et quum agnouissent illum uiri loci illius, emisertunt nuncios in totam undiq; finitimam regionem: & attulerunt illi omnes male habentes, & obsecrabant eum, ut tantum tangerent fimbriam uestimenti ipsius: & quorquot tetigerunt eum, salui facti sunt.] Gennezareni agnoscetes Christum, multo tempore apud se uersantē, & ex aspectu & miraculis alacrem exhibuerūt fidem, ita ut cuperent & fimbriam cōtingere, atq; ita curati sunt. Sic & tu quoq; summam tatem uestis Christi contingito, hoc est finem incolatus tui in carne. Si enim credideris quod assumptus est, saluaberis. Vestis enim caro: fimbria autem eius, finis uitæ.

## CAPUT XV.



Vnc accedūt ad Iesum Hierosolymitani, scribæ & pharisæi, dicētes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas, quando edunt panem.] Quanquā in omnibus locis erāt scribæ & pharisæi, magis tamen uenerabiles erant Hierosolymitani: ideo illi magis inuidebant, utpote inanis gloriæ magis appetentes. Morem autem habebant Iudæi, non comedere illotis manibus, idē ex patrum traditione. Has igitur traditiones, ut uidissent non obseruari à discipulis, putauerunt illos contemnere maiores. Nihil igitur ad hoc respondet, sed uicissim reprehendit eos.

At ille respondens, dixit eis: Quare & uos transgredimini præceptū dei propter traditionem uestram? nam deus præcepit, dicens: Honora patrem & matrem: & qui male dixerit patri aut matri, morte moriatur. uos autē dicitis: Quicunq; dixerit patri aut matri: quicquid doni à me profecturum erat, id in tuum uertitur commodum: & non honorabit, patrem suum aut matrem suam: & irritum fecistis præceptum dei propter tradi-

Exod. 20.

Deut. 5.



tionem uestram.] Pharisei accusabant discipulos, quasi mandarum seniorum prauaricantes: Christus autem ostēdit ipsos dei legem prauaricari. Docebant enim pueros, ne quid darent parentibus, sed offerrent quaecūq; habebant in gazophylacium templi. Erat autem in templo thesaurus, in quem quisquis uolebat quippiam immitteret, uocabaturq; ille Gaza. At distribuebatur in pauperes thesaurus. Pharisei igitur persuadebant pueris, ne quid darent parentibus, sed offerrent in thesaurum. Docebantq; ipsos, ut dicerēt: Donum dei est, id est oblatum deo est o pater, id quod per me tibi usui esse cupis. Et sic partiebantur ipsi cum pauperibus opes, & parentes relinquebantur & contemnebantur, nec in senecta alebantur. Faciebant autem hoc & sceneratores: si enim quis cuiusdam dedisset ad usuram pecunias, & deinde malus debitor non esset soluendo, dicebat scenerator ad illum ingratum debitorem: Corban est, quod debes mihi, hoc est donum deo oblatum. Debitor igitur tunc quasi deo debens, etiam inuitus dinumerabat. Hoc docebant pharisei pueros facere.

Esai. 29. Hypocritæ, bene prophetauit de uobis Esaias, dicens: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat, cæterum cor eorum procul abest à me: sed frustra me colunt docentes præcepta, doctrinas hominum.] Ostendit Esaiæ uoce, quod etiam tales sint erga patrem suum, quales & erga se inueniuntur. Nam quum mali essent, propter mala opera longe fiebant à deo, & diuinum sermonem solo ore loquebantur. Frustra enim colunt, & putant se colere deum, qui per opera illum dehonoraunt.

Et aduocatis ad se turbis, dixit eis: Audite, & intelligite: Non quod ingreditur os, impurat: sed quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit hominē.] Non loquitur ultra phariseis, utpote incurabilibus: turbæ autē loquitur, & per hoc quod illas aduocat, honorē illis deferre uidetur, ut suscipiant sermonē suum. Et inquit: Audite & intelligite, excitans eos, & attentos faciens. Quia autem pharisei arguerāt discipulos, quod illotis manibus comederent, dominus de cibus dicit, quod nullus cibus coinquinat hominē, uel impuret. Et si cibus nō impurat, multo minus illotis comedere manib⁹. Coinquinat em̃ intus hominē, dicere quæ nō oportet. Notat autē latenter phariseos per illa uerba, qui dicentes inuidorum uerba, coinquinabātur. Vide autē sapientiam, quomodo neq; manifeste illotis comedere approbat, neq; auersatur: sed aliud quiddam docet, quod eijciat è pectore malos sermones.

Tunc accedentes discipuli, dixerunt illi: Nosti phariseos audito sermone isto offensos fuisse? At ille respondens, dixit.] Discipuli propter phariseos dicunt, quod offensus sint, tamen si etiam ipsi turbati fuerint: quod manifestū ex eo, quod accesserit Petrus & interrogauerit de hoc. Igitur Iesus quum audisset, quod offensus essent pharisei, dixit:

Omnis plantatio, quā nō plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Omittite illos, ducēs sunt cæci cæcorum. Porro si cæcus cæco dux fuerit, ambo in foueam cadent.] Seniorum traditiones & Iudæorum præcepta eradicatum iri dixit, non legalia, ut existimant Manichæi. Lex enim plantatio est dei, non igitur illa eradicata est. Manet enim radix eius, spiritus qui in occulto est. Folia autem, hoc est apparens litera, defluunt. Legē enim ultra non iuxta literā, sed iuxta spiritum intelligimus. Quoniā autem desperati ac incurabiles erant pharisei, dixit: Omittite illos. Hinc enim discimus, quod offendi illos qui sponte offenduntur, & incurabiles sunt, non est nobis damnosum. Præceptores autem illos dicit, cæcos cæcorum ducēs, ut ab eis turbas abducant.

Respondens autem Petrus, dixit ei: Dic nobis parabolam hanc.] Petrus quia sciebat legem prohibere esum omnium, & timebat dicere Iesu: Ex his quæ dixisti offendimur, apparent enim legi aduersa esse: simulat ignorantiam, & interrogat.

Iesus autem dixit: Adhuc & uos intelligentia caretis? Nondū intelligitis, quod quicquid ingreditur in os, in aluum abit, & in secessum eijcitur: At ea quæ proficiuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, stupra, furta, falsa testimonia, cōiicia. Hæc sunt quæ impurant hominem. Cæterum illotis manibus cibum capere non inquinat hominem.] Increpat discipulos saluator, & insipientiā exprobrat, uel ut offensus, uel ut manifestus



nifesta ignorantibus. Dicit igitur: Non intelligitis, quod omnes intelligūt & sciunt? Cibi enim non manent intus, sed infra exeunt per aluum, & nullum hominē in anima contaminant: non enim manent intus. Cogitationes autem intrinsecus nascuntur, & manent illuc, & egrediuntur, hoc est in opus procedentes & actus, inquinant hominem. Cogitatio enim scortationis intrinsecus manēs maculat, & egrediens in opus, maculat.

Et digressus illinc Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa quæ à finibus illis uenerat, clamabat ad illum, dicens: Miserere mei domine fili Dauid, si filia mea miser à dæmonio agitur. Ille uero non respondit ei uerbum. Quare discipulos prohibuit ire in uiam gentium, ipse autem in Tyrum & Sidonē gentilium ciuitates iuit: Disce igitur, quod non ut prædicaturus iuit illuc: quia, ut Marcus dicit, & oc-

Marc. 7

cultauit se. Vel aliter dic, quia uidit pharisæos nolle suscipere sermonem de cibis, transiit ad gentes. Miserere autem dicit: nō filiæ meæ (illa enim sensu caret) sed mei quæ tā grauius patior, & sentio. Nec dicit, Veni & sana: sed, miserere. At ille non respondit ei uerbum: non ut contemnat, sed ut ostendat quod propter ludæos uenerit, prius illos docens, & occludat calumnias eorum, ne possint postea dicere, quod gentilibus benefecerit ipsis contemptis. Ad hæc etiam firmam mulieris fidem manifestam reddit.

Et accedentes discipuli eius, rogabant illū, dicētes: Omitte illam, nā clamat post nos. At ille respondens, dixit: Nō sum missus, nisi ad oues, quæ perdiderant, domus Israël. Discipuli grauatim ferentes clamorem mulieris, rogabant: Dimitte eam, hoc est obsecrabant, ut ablegaret illam à se. Hoc autem faciebant, nō tanquā immisericordes, sed magis uolentes persuadere domino, ut misereretur ei. At ille inquit: Non sum missus, nisi ad ludæos, qui sunt oues, quæ perdiderant ea quæ illis concredita erant. Per hoc autem amplius euulgat fidem mulieris.

Illa uero uenit, & adorauit illum, dicens: Domine, succurre mihi. At ille respondit, ac dixit: Non est bonum sumere panem filiorum, & obijcere catellis. Illa autem dixit: Etiam domine. Etenim catelli comedunt de micis, quæ cadūt de mensa dominorum suorum. Postquā uidit mulier patronos suos repulsam passos, iterum dominum feruenter accedit & inuocat ut dominum. Quia autem Christus canem illam dixerat, eo quod gentiles impuram agerent uitam, & in sanguine idolis immolatorum uersarentur, filios uero ludæos, illa ualde sapienter & magno intellectu respondit: Quamuis & canis sim, & indigna quæ panem accipiam, hoc est uirtutem aliquam & signum magnū: sed hoc quod paruum quidē, quantū ad uirtutem tuam attinet, mihi autem magnum fuerit, da. Si cut & qui panes comedunt, non magni faciunt, si micæ dent: Canes autem bene ex his pascuntur.

Tunc respōdens Iesus, dixit illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et facta est filia eius ex illa hora. Nunc manifestat Iesus causam, propter quam sanationem primum sustulerit, nempe ut fides & prudentia mulieris clarescat. Propterea non statim ab initio annuit Christus, sed magis illā à se amandauit: nunc ut fides & prudentia eius manifestentur, laudat eam: Magna est fides tua. Hoc autem quod dicit, Fiat tibi sicut uis: ostendit quod nisi fidem habuisset, nihil fuisset assequuta. Atque ita si uoluerimus & nos, nihil uetat & nos assequi quæ uoluerimus. Obserua autem, quod licet sancti orent pro nobis, sicut pro illa apostoli, attamen nos pro nobis ipsi petētes magis audimur. Est autem Chananæa symbolum ecclesiæ à gentibus collectæ. Nam & gentes prius repulsæ fuerunt, & postea in filiorum ordinem allectæ, & obtinuerūt panem corporis domini. Iudæi autem canes facti, ex micis uidentur pasci, hoc est paruitate & uilitate literæ. Significat enim Tyrus cohibitionem: Sidon autem uenantes: Chananæa, præparata humiliationi. Gentiles igitur, qui malitia tenebant, inter quos fuerūt uenatores animarum dæmones, humilitate sunt præparati. Iusti enim sublimi regno dei sunt præparati.

Et progressus illinc Iesus, uenit iuxta mare Galilææ, & consensu monte sedebat illic. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum claudos, cæcos, iudos, muti-

De intercessio  
ne sanctorum.



glorificabant deum Israël.] Non cōtinuò uersatur in Iudæa, sed Galilæa, propter multam incredulitatem Iudæorum. Galilæi enim fideiores illis erant: uide igitur fidem illorum, quomodo & in montem ascendant: claudj existentes, & cæci non segnes sunt: sed & ad pedes obijciuntur, utpote illū supra hominem esse existimātes: unde & sanitatem assequuti sunt. Et tu igitur ascende in montem mādatorum, ubi sedet Iesus: & si cæcus fueris, non ualens uidere per teipsum quod bonum: & si claudus, uidens quidem quod bonum, non ualens autem ad hoc peruenire: & si surdus, qui neque alium audias admonentem, neq; alium admonere ualeas: & si mutilus sis, non ualens extēdere manum ad eleemosynam: & si alio quodam morbo teneare, uadas ad pedes Iesu, & uestigia uitæ illius attinge, curamq; habebis.

Iesus autē uocatis ad se discipulis suis, dixit: Miseret me turbæ, propterea quod iam tri-duum perseverant apud me, & non habent quod edant: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia.] Turbæ quidem non audebant panes petere, utpote qui ad recipiendam sanitatem uenerant. Ipse autem misericors existens, curam agit, ne quis dicere possit, quod alia uisita habeant (inquit) quod si etiam habuissent, fuissent consumpta. Tres enim iam dies sunt. Ostendit autem, quod & alonge uenerint, dicendo, ne deficiant in uia. Hæc autem dicit ad discipulos, excitare eos uolens, ut sibi dicant quod possit eos alere, sicut & quinq; millia: sed illi adhuc sapientia carebant.

Et dicunt illi discipuli eius: Vnde nobis in solitudine panes tam multi, ut saturemus turbam tantam? Quamuis non oportebat illos oblitos esse, quod & prius plures pa-uerit in solitudine, sed stupidi erant: & quum postea hos uideris tanta sapientia præditos, mireris dei gratiam.

Et dicit illis Iesus: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. Et iussit turbas discumbere in terra, & sumpsit septē panes ac pisces. Et postquam gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis: discipuli autē turbæ. Comederuntq; omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt quod supererat fragmētorum septem sportulas plenas. Atq; qui comederant, erant quatuor mille uiri, præter mulieres & pueros.] Frugalitatem docens, super terram recumbere iubet: & gratias agere ante cibum docens, gratias agit & ipse. Rogas autē, quo pacto illic quidem, quum essent quinq; panes, & quinq; millia aliti essent, duodecim cophini superfuerūt: hic autem quum essent pauciores pascendi, & plures panes, septem sportæ? Dicit igitur posset, quod sportæ maiores essent cophinis, uel ne æqualitas, miraculi eos obliuisci faceret. Nam si nunc quoq; superfuissent duo decim, obliti fuissent ob æqualitatem quod iterum miraculum fecisset in panibus. Tu autem & hoc scias, quod quatuor millia, hoc est qui quatuor uirtutes recte possident: hi septem panibus, hoc est magis spiritualibus & perfectis sermonibus pascuntur.

Septenarius enim numerus, septem spiritualium donorum est symbolum. Discumbūt autem super terram: quia omnibus terrenis superiores sunt, & calcant ea: sicut & quinq; millia super fœnum discubuerunt, hoc est carnem & gloriā sibi subiecerūt. Omnis enim caro fœnum, & omnis gloria hominis sicut flos fœni. Septem autem sportæ hoc loco residuæ, eo quod spiritualia & perfectiora fuerunt, quæ nō potuerunt comedere. Illa igitur supererant, quæ septem sportæ capiunt, hoc est quæ solus sanctus spiritus scit.

*Eccī. 14.* Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunditates dei.

*1. Corinth. 2.* Et dimissis turbis, conscendit nauim, uenitq; in montes Magdala.] Secedit Iesus, quia nullum aliud signum fecerat, quale hoc in multiplicandis panibus: plures sequerentur, atq; (ut Ioannes dicit) in regem assumpturi illum erant. Vnde & secedit, quo tyrannidis effugiat suspicionem.

*Ioan. 6.*

C A P V T X V I.



Taggressi pharisæi unā cum Sadducæis tentantes rogabant eum, ut signum è cœlo ostenderet sibi.] Tamen si dogmatis dissideant Sadducæi & pharisæi, nihilominus tamen contra Christum conspirant. Signum autem è cœlo petunt, ut sistere solem uel lunam. Existimabant enim, quod signa quæ